

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

Books of enduring scholarly value

Linguistics

From the earliest surviving glossaries and translations to nineteenth-century academic philology and the growth of linguistics during the twentieth century, language has been the subject both of scholarly investigation and of practical handbooks produced for the upwardly mobile, as well as for travellers, traders, soldiers, missionaries and explorers. This collection will reissue a wide range of texts pertaining to language, including the work of Latin grammarians, groundbreaking early publications in Indo-European studies, accounts of indigenous languages, many of them now extinct, and texts by pioneering figures such as Jacob Grimm, Wilhelm von Humboldt and Ferdinand de Saussure.

Grammatici Latini

The eight volumes of the *Grammatici Latini*, published by Teubner between 1855 and 1880 under the general editorship of Heinrich Keil (1822–94), are an outstanding monument of nineteenth-century German philology. Keil published editions of Propertius and of Pliny's letters before turning to the works of the Latin grammarians, whose attempts to define and describe their own language have influenced the way in which modern researchers in language and linguistics have approached their discipline. Keil's only predecessor in this field was Helias Putsch, who in 1605 published *Grammaticae Latinae auctores antiqui*; Keil uses the same order in which to present his versions of the texts. The final volume contains the *Anecdota Helvetica*, a collection of writings on Latin grammar from the library of the Benedictine abbey at Einsiedeln in Switzerland.

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection will bring back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

Grammatici Latini

VOLUME 8: ANECDOTA HELVETICA QUAE
AD GRAMMATICAM LATINAM SPECTANT

EDITED BY HEINRICH KEIL
AND HERMANN HAGEN



CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS

Cambridge, New York, Melbourne, Madrid, Cape Town, Singapore,
São Paolo, Delhi, Dubai, Tokyo

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

www.cambridge.org
Information on this title: www.cambridge.org/9781108006439

© in this compilation Cambridge University Press 2009

This edition first published 1870
This digitally printed version 2009

ISBN 978-1-108-00643-9 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect
the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published
by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or
with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

GRAMMATICI LATINI

EX RECENSIONE

HENRICI KEILII.

SVPPLEMENTVM

CONTINENS

ANECDOTA HELVETICA

EX RECENSIONE

HERMANNI HAGENI



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

A. MDCCCLXX

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

ANECDOTA HELVETICA

QVAE AD

GRAMMATICAM LATINAM SPECTANT

EX BIBLIOTHECIS

TURICENSI ENSIDLENSI BERNENSI

COLLECTA EDIDIT

HERMANNVS HAGEN



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXX

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

IN

H E N R I C I K E I L I I

H O N O R E M

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

In hoc anecdotorum Helueticorum ad artem grammaticam spectantium volumine confiendo, quod grammaticorum Latinorum editioni nouae quasi supplementum adieci uoluit Teubneri amicorumque doctorum prudentia, duplarem rationem secutus sum, ut et colligerem excerptemue, quae hactenus incognita in bibliothecis Helueticis Turicensi Einsidlensi Bernensi latuerant, et, si quid ad eos libros, qui iam extant in noua Henrici Keilii editione ad codicum fidem recogniti, illustrandos uideretur ex iisdem fontibus deriuari posse, quam accuratissime congererem. Itaque, ne proteruo pede incurrerem in alienos labores nondum ad finem perductos, omnia ea scripta consulto praetermissi, quae, quod est uiri doctissimi nouae editionis auctoris atque auspiciis consilium, proximis haud dubie uoluminibus luce donabuntur, quorum in numero orthographi praesertim et rei metricae scriptores erunt. Sed praecipuam operam in eo collocaui, ut primam operum, quotquot inuestigare potui, medio aevo scriptorum notitiam paeberem, alia integra, ut erant, alia ex parte describerem uel summatim percurrerem.

Quibus si, quia intra Heluetiae fines inuenieram, anecdotorum Helueticorum nomen indidi, non uereor, ne, qui ceteris bibliothecis eius generis scriptorum seruaticibus uel Parisinae uel Monacensi uel Leidensi uel culibet alii praesunt, si forte eadem uel his similia in suis quoque codicibus inueniri uideant, ereptum sibi nomen ipsis potius debitum querantur. Quis enim Crameri anecdota Oxoniensia uel Parisina Parisinorum tantummodo uel Oxoniensium librorum auctoritate et beneficio ad nostram aetatem peruenisse contendat? Quamquam anecdotorum Helueticorum nomen ob hanc maxime causam amplexus sum, quoniam, cum ne una quidem pagina Helueticorum librorum auctoritate careat, tum longe maxima libri pars, quatenus peregrinorum a uiris doctis commemoratorum notitia mihi patebat, a nostris solis repetenda est. Immo in eo potius reprehendar, quod non

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

— VIII —

ceterarum quoque Heluetiae urbium bibliothecas adii, Sangallensem
dico, Basileensem, Geneuensem: nam illius claustrum, cui Angelorum
Mons nomen est, Frowino duce saeculo duodecimo conditi,
cum Galli Morelii Einsidensis schedas bibliographicas liberaliter con-
cessas perscrutans non nisi unum librum inuenissem extremo medii
aeui fine perscriptum (plut. VI, 27: liber grammaticalis Georius dictus
saec. XV), meo iure nullam rationem habui. Sed haec postero fortassis
tempore, cum non uiuere solum, sed peregrinari quoque litterarum
causa per nummos licuerit, expediri poterunt. Ceterum libri
Sangallensis prae ceteris maxime memorabilis, quo Dosithei Magistri
praecepta continentur, hoc ipso anno princeps quae uocatur editio
Keilio auctore Halis prodiit.

Nec fieri omnino poterat, ut ea ipsa, quae ex tribus, quas nominaui,
bibliothecis collegeram, omnia publici iuris facerem, cum
accrescente in dies apographorum excerptorumque cumulo, ne fasci-
culorum spatium a bibliopola liberalissimo concessum longius exce-
derem, nonnulla prorsus relinquenda essent, multa artioribus finibus
constringenda uel tenuissimis lineamentis adumbranda. Itaque, quo
longius in opere confiendo et expoliendo progrediebar, eo plus a
pristino consilio alias commentationes non tam a codicu[m] hactenus
incognitorum uel neglectorum auctoritate profectas, quam ad emen-
danda grammaticorum olim editorum scripta institutas, quae ueterum
studiis grammaticis explicandis inseruiren[t], interponendi uel corolla-
riorum instar subiciendi recedebam, quia ne Cledonianis quidem, quae
promiseram, studiis locus relinquebatur. Ferebat enim animus, emen-
dationes Cledonii gramm. Lat. uol. V p. 681 seq. propositas causis
rationibusque firmare, quod ipsum in praesens differendum fuit. Item
omnia illa praetermittenda esse ratus sum, quae inde a duodecimo
saeculo usque ad medii aeui finem grammatici excogitauerunt, quibus
non pauci libri cum alii tum Bernenses repleti sunt, non quo inutilia
ista esse arbitrarer, quippe quae ad illorum temporum sentiendi et
dicendi morem illustrandum satis multum conferre confiderem, sed
quia de his Carolus Thurotus Parisinis ceterarumque Galliae biblio-
thecarum libris perquisitis optime meritus plurimos illarum litterarum
fontes iam retexit. Praeterea de medii aeui studiis grammaticis quae-
renti ea potissimum auctorum scripta maximi momenti esse uide-
bantur, quibus ueterum grammaticorum praecepta aut repetita aut
expressa erant, id quod de extremorum saeculorum scriptoribus ne-
quaquam praedicari potest, cum excepto Vergilio Marone eiusque

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

— IX —

asseclis ceteros saeculorum octaui noni decimi auctores grammaticos ex antiquorum fontibus licentius quam cautius hausisse pateat. Sed ut ne hoc quidem scriptorum genus plane abesset a nostro opusculo, librum Turicensem C 58 (275) Eduardo Woelffino auctore describentes tertiam fere partem operis a Petro Riga de praeteritorum formis scripti excerpsum.

Iam quod alia scripta integra in hunc librum recepi, aliorum singulos locos excerpsti, praeter causam supra dictam, qua inter certos me fines continere cogebar, eo ducebar consilio, ut, quid unumquodque utilitatis habere uideretur, pro uirili parte examinato relinquerem, quaecunque in tritioribus, quam quae ferri typisque mandari possent, rebus argumentisque uersarentur. Cuius generis si in iis quoque, quae produxi, nonnulla inueniri iudicentur, ea, ubi opuscullorum, de quibus agebatur, conspectum uniuersum proponi certis de causis e re fore uidebatur, facili animo ceteris immisceri patiebar. Excerpsi autem ex artibus hactenus incognitis, quae ob rerum utilitatem uaframque exponendi prolixitatem integræ exhiberi non poterant, omnes illos locos, quibus ad maiorem sese cuiusque scriptoris ingenium doctrinam extulerat aut ueterum praecepta minus diuulgata referendo aut singularibus poetarum aliorumque exemplis rem illustrando. Itaque, ut uno exemplo hac re defungar, cum Clementis qui uocatur Scotti artem codicis Bernensis 123 f. 1 seq., quam integrum edere minus utile uidebatur, tali consilio perecurrerem, Probi nonnulla atque Sergii aliorumque auctorum aliqua hactenus incognita collegi uirorum doctorum attentione non indigna. E contra commenta in Donatum Einsidlensia tria ideo ad codicis fidem integra expressi, ut uno exemplo insigni atque luculento proposito totum illud Remigianum explicandi genus illustrarem.

Sed ne hanc quidem operam, quotiens singula perscrutantem laetiorum fructuum spes initio suscepta fallebat, penitus me perdidisse ducebam, properea quod, qui labor utique serius ocius subeundus erat, ut, si quid inde ad augendam litterarum scientiam peti posset, diligenter uideres, hoc me defunctum esse non sine quadam animi laetitia sentiebam. Est sane permagna artium illa aetate scriptarum pars ita comparata, ut ex earum cognitione plus taedii conequas, quam laetitiae percipias, sed insunt passim, quae tollere uelis melioris notae frustula, quamquam multum abest, ut iuuenili illo quidem, sed excusando Angeli Maii amore, quo futilem Vergilii Maronis artem auct. Vatic. tom. V praef. p. VI amplexus est, omnia prosequenda

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

-- X --

esse censem. Nam neque Vergiliis in hoc libro locus patebat, nisi Maii editionem multis numeris emendari supplerique posse uidisse, neque Bonifacios edidimus. Quae cum ita sint, non euro istorum subsannationem, qui, si hunc librum omissis praefationis anfractibus otiose perlustrantes nonnulla, quibus artium elementa parum docte traduntur, forte fortuna euoluerint, haec iamiam pueris sibi nota fuisse oblique perstringentes naso hanc operam suspendisse satis habituri sint. Neque enim, cum hunc laborem subibam, ea ducebar opinione, quasi nouam quandam ista litteris, quae ad antiquitatem spectant, lucem antea neque uisam neque auditam essent adlatura, sed id egi, ut medii aeui studia grammatica quam certissimis plurimisque librorum manuscriptorum uestigiis innixus qualia fuissent demonstrarem, quae si ueterum, quorum notitia ad nos peruenit, scriptorum artes non tam superasse, quam ex his ipsis magnam partem fluxisse, nonnulla crasso filo pinguique Minerva absoluuisse uidebuntur, illorum ingenii uitium est, nos certe, quid in posterum de his iudicandum sit, euicimus. Sed si insuper uideas, ipsam nostram earum rerum scientiam talibus quaestionibus rite institutis reuera locupletari, quoniam medii aeui magistros ex iis quoque fontibus, qui maliuola temporis rapacitate iam praeclusi sunt atque obruti, multa hausisse certissime demonstrari potest, iam quid esse dicam, cur hunc laborem a me susceptum quisquam uel grauetur inique uel maligne irrideat?

Sed insunt huic libro nonnulla, quae, quia iam erant nota, num iure anecdotorum uolumini inseruerim, merito quaeri posse uideo. Quorum orthographias Bernenses primam et tertiam iam edendas curaueram, cum in Thuroti librum, in quo ista proposita sunt, incidi; neque tamen omisi, quod Thuroti librum parum diuulgatum esse sciebam et quia codicibus Bernensibus suam manere proprietatem uidebam, praesertim cum adiectis glossarii magni excerptis totam rem melius illustrari posse animaduertissem. Differentiae autem sermonis quamquam maximam partem collectionibus a Gothofredo Areualo Handio editis continentur, ob insignem ordinis inparilitatem uerborumque singulorium dissonantiam et noua aliqua additamenta hactenus incognita, quo rectius, qualis fuisse omnium harum collectionum fons communis, perspici posset, has quoque recipiendas esse ratus sum.

Quae uero mihi praefanda fuerant, ea in tres partes diuisi, quarum illa, quae medium locum obtinet, ipsius libri singuli tractatus examinabuntur, quatenus pro rerum nouitate mearumque uirium paucitate tali consilio satis fieri posse uidebatur. Primae parti librorum

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

— XI —

manuscriptorum, quotquot Bernae, in Heremo sacra, Turici adseruata grammaticum prae se ferunt argumentum, descriptionem delegauit additis, ut incidebam in res hactenus incognitas, suis cuiusque opusculi excerptis. Iam tertio loco non tam librorum, quam auctorum habito respectu ea collegi, quae certis certorum auctorum nominibus insignia occurrebant aut plane non cognita adhuc aut iusto minoris habitat uel parum accurate descripta. Quo factum est, ut, quamquam non pauca insunt inedita, huic certe parti supplementorum magis, quam anecdotorum nomen conueniret. Quem quidem supplendi laborem eo minus respuebam, postquam totum hunc librum pro grammaticorum Latinorum a Putschio Keilioque editorum supplemento et posse haberi et habitum iri uidebam.

Sed haec omnia summopere dubito num feliciter occipi riteque peragi potuerint, nisi uirorum optimorum, qui Heluetiorum bibliothecis praesunt, Cornarii Turicensis, Patris Galli Morelii Einsidlensis, Caroli Ludouici de Steigero Bernensis beniuolentia adfabilitasque uias mihi ad illos thesauros patefecisset. Atque Gallus Morelius meus, ‘iam senior, sed cruda uiro uiridisque senectus’, non solum, cum duobus abhinc annis per triduum monasterii Einsidlensis bibliothecam perscrutarer, summo me fuit amore effusaque prosecutus est librorum subministrandorum liberalitate, sed, postquam breue illud temporis spatium intra claustrum atque adeo ‘clausurae’ moenia consumptum operis suscepti longitudinem minime aequare uisum est, benigne satis amplam librorum manuscriptorum impressorumque copiam in hanc ciuium Bernensium sedem misit eadem semper usus, ut inter amicos, si amicum appellare fas est uirum humana nos generatione antecedentem, iucundissima animi suauitate. Proinde, si largior per hos annos peruenit peruenietque etiam ad uiros doctos armarii Sancti Meinradi notitia, en illum uirum uenerabilem habeto auctorem!

Sed longe maxima libri pars in codicem Bernensium memoria praedicanda uersatur. Qua in re si Sinnerum catalogi ante hos centum annos confectorem ducem secutus forem, res quin minus prospere processura fuerit, nullus dubito, propterea quod ad nouum catalogum conficiendum singulis ex ordine libris deinceps euolutis multa inuenta sunt, quae illum prorsus fugerant, qui ne singularum quidem schendarum, quarum magna copia est, ullam omnino mentionem fecisset. Quae neque retexisse neque iuste percensere atque pertractare potuisse, nisi Steigerus uir nobilis atque comis singulari erga me

— XII —

usus obseruantia et officiositate remotis, quotquot obstabant, adeundi difficultatibus amplissimum, in quo laetus exspatiarer, studiorum campum mihi ostendisset. Atque horum officiorum pia memoria in hoc libro ipso collocata est.

Iam ex uirorum doctorum numero Woelflinus amicus de codicibus Turicensibus C 37 et 58 accurate mihi respondit, Buechelerus alterius codicis, qui Sedulum continet, adhibendi nullo meo rogatu copiam fecit, Keilius aliquot librorum rarissimorum notitiam subministravit, Vsenerus denique de rebus orthographicis quaerentem benigne adiuuit transmissa, quam olim accurate fecerat, codicis Bernensis 16 lemmatorum orthographicorum ad orthographiam Bernensem primam pertinentium collectione. Sed iis quoque uiris, qui auctoritate atque hortatu, dum his incumbebam, fortiter me sustentarunt, summas ago gratias. Inter quos Henricus Keilius uir amicissimus, cum haec ob eximiam uenerationem sibi data dicataque perleget, si neque temere neque frustra hunc laborem susceptum esse iudicabit, uoti conpos ero.

Dabam Bernae a. d. XVIII Kal. Sept. anni CIOI OCCCLXX.

Cambridge University Press
978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8
Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen
Frontmatter
[More information](#)

P R A E F A T I O.

P A R S I.

DE BIBLIOTHECARVM BERNENSIS EINSIDLENSIS TVRICENSIS
LIBRIS GRAMMATICIS.
ACCEDVNT EX EISDEM EXCERPTA.

A.

DE LIBRIS BERNENSIBVS.

1) Cod. Bern. 207.

Cod. Bern. nr. 207 saec. IX—X formae maximae et oblongae continet folia centum et nonaginta septem (CXCV habet uetus paginatio, in qua duo folia, quae nunc sunt II et III, numeris 264 et 257 insignita erant), paucis exceptis eadem omnia, ut uidentur, manu conscripta.

Quae f. 1^a scripta olim fuerint, minus liquet, quia paene omnia putredine deleta sunt: sed in altera paginae parte litterae:

AVCT · MIHI · AE · QVAT

forma maiuscula scriptae apparent, in altera: LITTERAE LITTERATVRA LITTERATVS LITTERATE. Litterae sunt quas doceo. Litteratura ipsa quae doceo. Litteratus quem docuero. Litterate qui doce tractauerit informo et nonnulla alia, quae iam legi nequeunt.

F. 1^b litteris maiusculis libri index proponitur in hunc modum:

AVETORV	DONATI
EVRAVI	ASPERI
ADFIGE	PRISEIANI
RENOMI	SERGII
NAHO	PROBI
RVM	
HVIE	ISIDORI
LIBELLO	SOPHI
QVEMNI	BEDAE
MIOSUDORE	PETRIQ;
CONPEGI	MARTIS
	ERVLI

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

XVI

DE LIBRIS BERNENSIBVS.

Quorum quae in sinistra parte leguntur, hexametri dactylici esse uidentur neque non alterius lateris pars superior: cetera nomina octonario trochaico comprehendi diceres, si illud 'que' decesset. Nam pedestri sermone illa nomina enumerari ideo minus credas, quia non eodem ordine in ipso libro scripta sunt. Versus ipsos male compositos esse non est quod moneam.

F. 2 et f. 3, quae ad deperditam codicis partem pertinuisse numeri 264 et 257 antiquitus additi coarguunt, diuersum omnino a reliquo libri habitu grammatico argumentum p[ro]ae se ferunt; nam f. 2^a de loquela digitorum agitur mutilato ab initio tractatu sic:

leua digitum inflectens in medium palmae artum infiges, cum dicis duo, secundum a minimo flexum ibidem inpones — f. 2^b med.: eundem pene numeri figurandi quem scribendi alphabeti ordinem sequentes hoc modo.

Secuntur diuersa alphabeta, unum Graecum suprascriptis ubique numeris Romanis, alterum Hebraicum suprascriptis litterarum nominibus, alia deinde tria uel quattuor Gothica ad secretam scribendi rationem adcommodata, quas runas vocant, quibus subiuncta sunt litterarum nomina mystice sonantia haec:

ach. berc. chen. dei. egch. fego. gobo. haorl. ish. kalod. loto. man. net. os. per. quella. ret. sinl. ti. ur. ueh. uir. ear.

Postremo f. 2^b loco aliud alphabetum scriptum est, quod Aethico philosopho cosmographo tribuit Hrabanus Maurus, ita ut post signum quodlibet litterae cuiusque nomen scriptum sit, quae quidem litterarum nomina ita se habent:

alamoi. becac. caiti. delfoi. efoti. foiti. garpoi. hirconi. intolat. k.... lethmi. malathi. nabeleth. oithi. pithirin. quorizeth. rchoniti. s.... tothimos. uzaict. ethmi. yofiti. zothichin. *)

*Atque huius alphabeti signis usus est scriptor f. 31^b ad artis aliquius titulum conficiendum. **)*

*) Similia et signa et nomina habes in Hrabani Mauri Abbatis Fuldensis libello, qui est 'de inuentione linguarum et notis antiquis', cf. Goldasti Alamannicarum rerum tom. II p. 92 (a. 1606).

**) Notis secretis iam antiquos Romanos usos esse ex celeberrimis illis Suetonii locis cognoscitur, quibus de Caesaris (cap. LVI) et Augusti (cap. LXXXVIII) more egit, cf. Gell. XVII 9. Hinc explicatur, quod in cod. Einsidlensi 326, qui notas Papianas continet, INCIPIVNT NOTAE IVLII CAESARIS suprascriptum est. Quamquam hoc ipsum Mommsenus aliter interpretatus est, qui IVLII CAESARIS ex notis I. C. (iuris ciuilis) male intellectis fictum esse diceret, Gramm. Lat. IV p. 315. Certe Hrabanus Maurus de ipso Julio Caesar cogitauit, cum l. l. p. 92 propositis aliquot notis haec subiungebat: 'Istiusmodi genus descriptionis «Notae Caesaris» appellatur, quod cum litteris, quae antiqua manus appellatur, perficitur' etc. Neque tamen notarum specimen quae ad unam omnes inter Papianas, quas vocant, leguntur ex ipso cod. Einsidlensi petuit, sed ex libro uel Parisino (cf. Mommsen. l. l. p. 315) uel eius simillimo, quod conlatis inter se notis singulis certissime euincitur.

Per medii aevi tempora nouam quandam sententias suas operiendi uiam ingressi coenobiorum incolae litterarum alphabeto ita utebantur, ut consonantium ni

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

COD. BERN. 207.

XVII

F. 3^a parte superiori quacdam de declinationum agnitione scripta sunt: Quas priscianus bene commemorat. Quarta declinatio. Que est agnitio quarte declinationis, cuius genetiuus singularis et nominatiuus et accusatiuus et vocatiuus plurales in us pro ð desinunt — quinta declinatio quot litteras termina.

Reliqua paginae pars aliis alphabetis secretis repleta est, sed recentiori istu manu saec. X utique scripta esse uidentur.

F. 3^b cycli paschalis descriptio habetur:

IN XPIN NOMINE INCIPIT CHYCLUS PASCHALIS XUMMI | SCI APUD
BIBLIAM IN SINODO NICENA · TEMPORIB; | estque exordium
huius superscribti cycli DCCLXXVIII anno|r|ii anni sunt.

Post tabulam, qua inductionum et epactarum fit mentio, sequitur eius expositio: INCIPIUNT de titulis pascalis aegyptiorum in. Si uis nosse quotus annus sit ab incarnatione domini nostri ihū xpI — de INDICIONE. Si uis scire quota sit indictio sume annos ab incarnatione domini his semper adde III regulares quotus inuenieris partire per XV.

In summo eius paginae margine manu recentiore saec. X Optatiani Porphyrii quattuor uersus: Ardua componunt felices carmina muse etc. scripti sunt.

Sequentis folii 4, quod antiquam paginationem sequentes secundi nomine significari maluimus, pars reuersa titulum continet praeclera quadam pingendi arte exornatum: in nomine dei sanctissimi incipit ars Donati grammatici urbis Romae —, ita, ut subter singulis uerbis vulgaribus litteris compositis idem scriptum sit litteris Gothicis secretis illis, quas f. 2^b alphabetum Hebraicum excipere diximus.

Itaque f. 2^b — 17^a continentur Donati scripta, ars prima, de litteris etc., de barbarismo, omissa arte maiore de octo partibus orationis, quae quidem ipsa infra f. 101^a seq. legitur.

integra remanente vocales expellerentur earumque in locum quae deinceps secuntur consonantes succederent. Hunc igitur scribendi morem, cuius auctorem Sanctum Bonifacium archiepiscopum fuisse Hrabanus Maurus narrat l. l. p. 93, in duobus codicibus Helueticis deprehendi, quorum alter est Einsidlensis 302 saec. X scriptus, qui cum alia, tum Boetii philosophiae consolationem continet glossis Germanicis manu antiqua in istum modum passim suprascriptis, ut: assuefaciunt] gfvufnnbnt = gevvenant; conquaesta est] chlbgptb = chlagota, aliaque id genus plurima; alter est Turicensis C 58 (275) saec. XII scriptus, de quo infra accuratis dicturi sumus: in eius igitur p. 288 margine inferiori haec extare carmina αλνιγματωδη Eduardus Wölfflinus docuit:

LVX.

Fklkb sxm splks 1 sxm cxm splf erfbtb
Sxm dfekfs qxknqxf sxm qxknqxf dcefmq; xpebtb
Soluere qui poterit, soluat et eius erit.

In altera uero marginis parte idem uersus lepidissimi ita scripti sunt:

Filia sum solis, sed sum cum sole creata
Sum quinquaginta, sum quinque decemque uocata
Sum decies quinque, sum quinque.)

Discrepant autem ista Donati opuscula ab editis saepenumero: iam in fine tractatus de nomine similia leguntur atque illa, quae p. 356 Keilius ex codice Monacensi edidit, in hunc modum concepta: 1 singuli om. 2 prima quae ae litteris terminatur ut hęc musa 3 secunda quae i littera terminatur ut hic magister huius magistri et est producta. Tertia quae is terminatur ut hic sacerdos huius sacerdotis et est correpta. Quarta quae us uel u terminatur ut hic uersus huius uersus. hoc cornu huius cornu et est producta. Quinta quae ei terminatur ut hic dies huius diei et est semper producta.

Deinde f. 7^a — 7^b post tractatum de uerbo: ‘passiuī commune et deponens’ p. 362, 13 haec inserta sunt a vulgari Donati forma quam maxime aliena:

DE VERBIS INPERSONALIBVS.

Inpersonalia uerba quae sunt? Ut sedetur curritur. A quibusdam et declinari uerbum inpersonale potest ut sedeo sedes sedet curro curris currit certo certas certat. Est aliud genus inpersonalis uerbi, ex quo personale fieri non potest, ut tēdet piget pudet libet. Non facit enim tēdeo tēdes tēdet. Item inpersonalia uerba sunt quae non habent certam personam sed adiectis pronominiis bus ad personam adcomodantur. Dicimus enim libet mihi libet tibi libet illi.

Declinatio uerbi ex quo inpersonale fieri non potest. Modo indicatiuo tempore praesenti pudet me te illum, pudet nos uos illos. Preterito imperfecto pudebat me te illum etc. — f. 7^b med. praesentis temporis pudere, praeterito puduisse.

Declinatio inpersonalis uerbi de quo personale fieri non potest. Modo indicatiuo tempore praesenti itur a me a te ab illo. Itur a nobis a uobis ab illis etc. — eodem modo tempore futuro cum itum erit a me a te ab illo, cum itum erit a nobis a uobis ab illis. Hec uerba tribus casibus seruiunt, accusatiuo ut pudet me te illum, ablatiuo ut itur a me a te ab illo, datiuo ut libet mihi tibi sibi illi.

Sequitur f. 10^b post artem minorem ea pars artis maioris, qua agitur de littera etc., sed omissa sunt, quae de uoce leguntur p. 367, 5—7.

F. 11^a post uerba: ‘syllaba apud metricos semipes nominatur’ p. 369, 15 haec inserta sunt sermone continuato:

Accedunt unicuique sillabae tenor spiritus tempus et numerus litterarum. Tenor acutus grauis uel circumflexus in dictione certus absque ea incertus non potest tamen sine eo. Spiritus asper uel lenis. Tempus unum uel duo uel etiam a (leg. ut) quibusdam placet unum semis et duo semis et tria. Tamen in metro necesse est unquamque sillabam uel unius uel duorum accipi temporum, breuem unius, longam uero duorum. Numerus litterarum quia ab una incipiens non plus quam ad sex litteras procedere || f. 11^b || sillaba potest in latino sermone ut a ab ars mars stans stirps. Habet etiam unaquaeque sillaba altitudinem latitudinem et longitudinem. Altitudinem in tenore, crassitudinem uel latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore.

Sequitur tractatus: DE FINALIBVS SILLABIS, hic quoque a Donati libris alienus, quem sub Seruii nomine olim edidit editor Basileensis a. 1528 (cf. Keil. p. XLV nol. IV) quemque inde repetit Putschius p. 1799—1810.

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

COD. BERN. 207.

XIX

Quam libelli Seruiani de finalibus formam a uulgari, quam subinde expressit Putschius p. 1810—1816 Keiliusque repetiuit p. 449, maxime abhorrentem, quamquam codices Palatinus 1753 et Valentianus M. 6. 10 atque ex parte Sangermanensis 1180 exhibent (cf. Keil l. l.), tamen Keilius in noua editione neglegendam esse putauit. Ego, quae inde in cod. Bernensi extant, ad Putschii editionem conlata proponenda esse statui, ut haec quoque ad ueteris codicis manuscripti fidem emendatiora exhiberentur.

Seruui igitur tractatus inde a f. 11^b usque ad f. 12^b legitur ab extremo mutilus: ‘A terminatus nominatibus — De uerbo. In omnibus modis’, p. 1803 med. — p. 1807, 1 P.

p. 1803, 7. A terminatus nominatibus singularis brevis est ut musa. E finitus 30 i terminatus 31 o terminatus in nominativo 32 tantum om. 35 quae in genitivo a littera corripiuntur 36 brevis est ut annibal annibalis. In his quae 38 equidem longus est auctoritate 39 nam om. iuuenialis conductus comites sellamque cervical amicus. El terminatus brevis est ut mel fel. Il terminatus corripitur ut uigil 43 tantum om. tonaquil 44 longus est ul terminatus 45 terminatum brevis, corr. breue est ut templum 47 repperire

p. 1804. ut titan. Latinū uero nomen inueniri non potest in hac sillaba. En terminatus 2 in aliis autem generibus quae non sicut neutra declinantur (*in marg.* apud latinos longus est *signo omissionis adposito*) et in grecis ut siren lien exceptis his pecten flamen pollen fidicen rien tibicen cornicen tubicen. On finitus 5 ut memnon ciron 7 ut mar nar far licet in his longus sit quae a in genitivo ante ultimam 9 producent 10 ut coclear sublegar. iuuenialis tyrumque tenens et sublegar accusatiui. Er finitus 13 uero om. 14 brevis est ut doctor autor (*sic*) et in grecis licet hector. Vr terminatus corripitur ut murmur femur ebur 18 tunc tantum corripitur 20 ut arcas arcados 21 ancises 22 fuerit 23 producuntur, corr. producitur ut dies si tertiae fuerit tunc longus est 25 ut clades pubes nubes uulpes labes || f. 12^a || clabes uel cum crescens e productum ante ultimam sillabam habuerit

ut quies 28 t in i mutet (t eras., suprascr. lit) nel breuem habuerit seges segetis corripitur exceptis 30 ceres res pes spes et quae ab ipsis figurantur 32 bipes tripes et aliquo ex poli sillabis ut uaries paries abies. Is finitus docilis agilis facilis 34 glis uis lis. Os terminatus 35 genitiuus diptongos terminatur ut delos andros delo. In latinis 37 brevis est 38 sillabam o non habuerit 39 genitiuō effertur ossis exceptis uos compos et impos flos mos producuntur monosillabum ac per hoc adiasforos est sicut et cetera. Us finitus 40 ut doctus locus lectus 41 crescentia horrescentia u productum 42 ante nouissimam sillabam ut uirtus uirtutis mus salus 44 et in uno indeclinabile pus unde Vergilius ait limsoque palus obducat pascua iunco (*Verg. Ecl. I 48*). T terminatum 46 tantum ut alec alii alex quia longum est 48 declinatione dubitatur lac quidam enim hoc lacte declinant in Plauto (platone) positum est et Probus confitetur se in Varrone (uarone) de lingua latina legisse lact (*de Probo cf. catholica p. 7, 5 K*).

p. 1805. De genitivo casu. Genitiuus 5 in grecis uero 6 corripitur om. 8 de datiuo om. Datius singularis in latinis nominibus semper longus est ut pompeio comiti. in grecis tunc corripitur 12 de accusatiuo om. 15 ut doctum molem in grecis antem tunc tantum 16 uel on tunc fuerit 18

b*

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

xx

DE LIBRIS BERNENSIBVS.

de uocatio *om.* 19 in omnibus latinis nominibus uel in grecis 21 ut
 nauta tabula musa in masculinis grecis longus est 22 E uocatius terminatus
 24 ut dide 25 terminatur ut phoebos phoebe. I uocatibus terminatus in
 latino longus est ut 27 ut nai ambrosi. O uocatius terminatus 28 breuis
 est 29 longus est ut dido erato. V uocatius 28 (f. 12^b) regulam 35
 de ablatiu singulari *om.* 37 absque cum e terminatur 38 quae tertiae
 fuerint declinationis ut a pariete 41 de nominatio et uocatio plurali *om.*
 45 masculinum uel femininum 46 fluctus clades musae curae. Cum neutri
 generis fuerint breues sunt ut moenia. In grecis uero as uel a terminati fuerint
 corripiuntur ut hii rectores o rectores. haec poemata o poemata aliter.

p. 1806, 4 de genitio plurali *om.* 5 in latinis *om.* 6 ut rectorum
 doctorum. In grecis longus est si tamen grecae sunt declinationes ut pilenon.
 10 de datiuo et ablatiuo plurali *om.* 11 cum is terminatur longi sunt ut his
 doctis cum bus ut his et ab his agilibus et si greca sit declinatio datiuo in
 terminatus corripitur ut arcasin (*optime: ut Arcadibus Putschius!*) 16 alio-
 quin — Musis *om.* 17 de accusatio plurali *om.* 21 et feminini ut doctos
 musas cum generis neutri breuis est 22 in grecis si-as-fuerit 24 singu-
 lari uenerit os finitus 25 ut arcados arcadus alias productiones mutantur ut
 musas. De pronome. Nominatius singularis in omnibus corripitur pronomi-
 nibus exceptis duobus 34 i uel e ut mei uel meae 35 singulariter
 semper productus est 37 his *om.* sibi aut cum pronomen c littera termi-
 natu uocalis statim subsequitur. tantum hic communis est sillaba. nam hoc hunc
 alia ratio est. O finitum quodcumque inuenieris adiasforos est hoc est communis
 absque datiuo et ablatiuo casu. Accusatius singularis 39 ut illum illam
 exceptis me te se. 44 terminata 45 pluralis semper corripitur ut illorum
 ipsorum 46 si bus fuerint terminati breues sunt ut quibus et a quibus. si
 is producuntur ut illis et ab illis. De uerbo. In omnibus modis.

Tali igitur Donato usus est Julianus grammaticus, cum artem suam
 scribebat, cf. Juliani excerpta Gramm. Lat. uol. V p. 320 K. Neque
 igitur iam opus est, ut illud, quo Keilius confugerat praef. ad Julian.
 p. 315, amplectamur, Julianum Donati nomine Victorinum de finalibus
 explicasse. Haec enim non ex alio quodam Victorini libro Julianum
 petuisse, sed ex aliquo Donati ipsius codice libri Bernensis consimili forma
 praecclare confirmatur. Atque id ita se habere inde quoque uides, quod,
 quae Julianum p. 320 K. in eam partem commentatum esse cernimus, in
 artigraphi Juliano similis codice Bernensi, eodem ipso libro 207, p. 18^b seq.
 ita scripta sunt, ut cum isto Donati additamento Bernensi ad uerbum
 paene conspirent, cf. infra partis tertiae cap. VII.

Inde a f. 13^a Donati ars vulgaris continuatur ab initio mutila: incipit enim a uerbis: 'productam uocalem habebunt' p. 371, 10 K., ut si,
 quae ex tractatu de finalibus relicta sunt, consideres, duo fere folia
 intercidisse suspiceris: et reuera hodie f. 12 et f. 13 medio ternionis loco
 posita sunt, cum alias quaterniones iusti habeantur, ut uerum nos conie-
 cissem pateat, quae quidem duo folia antiquo iam tempore perisse inde
 efficitur, quod uetusta illa paginatio ad saeculum decimum quartum aut
 quintum referenda lacunam omnino neglexit. Reliqua usque ad finem
 barbarismi f. 17^a cum editis plane consentiunt.

*Sequitur f. 17^a — f. 18^b: it̄ de PARTIBUS ORATIONIS IN BREUE
COLLECTUM ars quaedam a n o n y m a crassi fili rerumque omnino
tritissimarum, ita comparata, ut uniuscuiusque orationis partis exemplo
proposito aliquot quaestiones ad singulas partes pertinentes peragantur,
cuius hoc est specimen:*

Codex quae pars orationis est? Nomen est. Vnde (f. 17^b) hoc scis? Quia res nota est et per casus inflectitur. Cuius qualitatibus nomen est? Appellatiuae etc. Quomodo? Quia multi codices sunt. Corporalis qualitas est aut incorporalis? Corporalis. Quomodo? Quia uidetur et tangitur. Generale nomen est aut speciale? Speciale. Principale aut ex arte descendens? Principale quia aliunde non trahit originem ut mons fons. Diriuatur aut diminuitur? Et diriuatur et diminuitur: sic dicitur codicellarius et codicellus. Recipit comparationem? Non. Quare? Quia nec qualitatibus animi nec quantitatibus corporis illum habere (*suppleas dixi, uel simile quid?*). Cuius generis nomen est? Masculini. Qui numerus? Singularis. Quomodo? Quia unum codicem dixi. Quae figura? Simplēx. Quomodo? Co nihil est, dex similiter. Qui casus? Nominatiuus et uocatiuus. Declina ipsud nomen. Nominatiuus hic codex genetiuus huius codicis etc. — ab hoc codice. Quotae declinationis nomen est? Tertiae. Vnde hoc scis? Quia (qui) genitiuus singularis is terminatur. Correptum aut productum? Correptum. Ablatiuus singularis qua littera terminatur? E. Correptum aut productum? Correptum. Quomodo? Quia genitiuus singularis is terminatur et est tertiae declinationis nomen, ideo ablatiuus singularis e terminetur correptum. Quotae formae nomen est? Pentaptotae (pentabtote). Quomodo? Nominatiuus et uocatiuus faciunt unam formam et alii singuli singulas. Qui pes est? Spondeus. Quomodo? Ex duabus longis: co auctoritate longum est, dex finalium ratione longum est. Qualis accentus? Acutus. Vbi habet accentum? Paenultimo loco, sic et cetera nomina per proprietatis generum querebis et declinabis. DE PRONOMINE. Ego quae pars orationis est etc.

Eodem fere modo ceterae quoque partes pertractantur; proponuntur uocabula: lego foris legens porro extra — p. 18^b sic et ceteras prae-positiones perquirebis cuius casus sint, si accusatiui, si ablatiui, si utriusque. Cetera desunt.

Sequitur f. 18^b INCIPIVNT PARTES MAIÓRES DONATI. Partes orationis quot sunt? Octo. Quae? Nomen pronomen etc. — f. 77^a Ex tribus et duobus ionicis. Da eius exemplum. Bona iustis sua semper deus || f. 77^b || affert. Item bona iustis deus affert commentum in Donati artem minorem, de litteris etc., de barbarismo etc. Iuliani Toletani, ut uidetur, grammatici siue illius simillimi, de quo infra seorsim agere institui.

Haec excipit f. 77^b — 80^b Seruui centimetrum, cui is titulus praescriptus est: INCIP̄ MARTIſ eruli grāmatici, quo deleto manus recentior centimetrum Seruui honorati grāmatici superscripsit. Martis istius Eruli nomen nouum sane atque inauditum, quod et in libri catalogo f. 1^b legitur; inde effectum est, quod Marii Seruui nomen litteris maiusculis negligenter scriptum erat hunc fere in modum: MARIISERUII, quo facto non mirum est, illud

MARTIS ERULI

hinc natum esse.)* Desunt centimetri initium p. 456, 3—10 atque finis p. 467, 18—19.

Eius centimetri scripturae discrepantiam qui exhibuit Philol. tom. III p. 373 sq. W. T. Streuberus Basileensis, recte uidit, Putschium, cum in praef. ex libris Bongarsii plurimis locis auctam et restitutam de centum metris artem se edere profiteretur, reuera Bongarsii libris atque ipso hoc codice 207 usum esse. Id uero non animaduertit, multa insuper, quae hodie iam non nisi ex editionibus quae vocantur principibus innoverunt, quas Putschium in auxilium vocasse consentaneum est, ibidem reperiri scripta. Dolendum igitur, quod Keilius nescio qua causa ductus Streuberi conlationem adnotationi suae criticae non inseruit, aut certe quae grauiora videbantur, excerptis, quamquam eius mentionem fecerat p. XLVI. Quapropter, cum Streuberi quoque conlatio ob breuem quandam eius codicis consuetudinem atque usum aliquot uitiis labore, grauiora inde denuo cum Keili editione conlata excerptam:

p. 457, 2 metrorum genera digessi = ς Putschius (P) 3 quo metrum nascatur, metrum in ras.: quo metrum noscatur P 4 quam sutilitas, leg. subtilitas 6 Gracca uerba desunt = ς P 6 solutionem autem esse 8 hac (= ac) deinde = P 9 hac deinde 11 similiter om. = P sequitur sillaba. Acatalecticum uersum, mediis om., quae in Keili quoque codicibus praeter Darmstadiensem desunt, adsunt in uulgatis editionibus et apud Putschium. 14 ypercatalecticum ubi supra legitimos pedes sillaba crescit = P 23 producit uoluntas, corr. ex uoluptas: producit uoluptas P

p. 458, 11 uacea 16 alcōmanium 17 toro, corr. toros m. II = ς P 30 non tamen uaca, corr. m. II uocas: non tamen uacas P

p. 459, 3 finesⁱ iambe salue uindici doctor melior: uindice doctor meliori P 14 uacea iungit hii ores, corr. bacche iunge tigres m. II in marg. 17 alcōmanium 23 rex paterque iupiterque deorum: rex pater qui Iuppiter et deorum P 32 enarrat = ς P

p. 460, 12 et interdum ultimo loco trochaeum = ς P

p. 461, 4 Marcia cede domi tua carmina foebi: Marsya cede domi tua carmina Phoebi P et ς , ut uidetur 11 uulnra bella tube numera conduntur omeri: uulnra bella tubae numero conduntur Homeri ς P 14 rustica siluestri — cantum: rustica siluestrem — cantum P 22—23 om. = P 31 tremicium: trinicum P thirinicium ς

p. 462, 7—8 om. = P 9 fuge moenia tela omnia de \mathfrak{g} : fuge moenia tela omnia deo P 11 mellifluam: mellifluia ς P 14 deas omnifero baca cursiculos te lucet: dea somnifero bona cursiculo relucet P 28 date uina bona mihi = P 23—26 desunt

p. 463, 15 omnipotens romulidum ut uenias praecamur = P 20 Phan-

*) Idem olim Martinum Hertzium, amicum uenerabilem, statuisse non sine quadam animi laetitia ex Streuberi tractatu Philologi tomo III p. 372 seq. inserto postea cognoui, qui et ipse non ‘Mauri’ sed ‘Marii’ cognomen latere bene intellexit. Simile scribendi nitium commisit is, qui in Glossario Bernensi No. 16 fol. 111^b col. 2 Isidori orig. II 29 hoc titulo praemiso excerptis: DIUISIONE DEFINITIONUM EX MARTI VICTORINI LIBRO ADGBRIABTS.

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

COD. BERN. 207.

XXIII

nium = P 21 f[un]i semidorum numen adest 25—26 om. = P 27
infandum cecidit

p. 464, 15 sed ex pluribus quinque = P 16 ueneris = P 18—19
om. = P 24 fenus = P domum sole: donum solae P 25 alcimanum
3 (*Ionici a maiore, ut apud Putschium, post ionicos a minore transpositi sunt*) solutionemque ex se patienter 11 intendet laborem: intendito laborem P

p. 465, 1 DE DIVERSIS METRORVM GENERIBVS = § P 2 dehinc per
se metra 6 seraenae reparas 15 quam prolabitur 25 eroum constat
spondio et dactilo ita ut pircio concludatur 30 nomen pregecit 31 faleu-
cium constat spondio dactilo et tribus troceis ut est hoc: Non hic men non
quos canemur indos, corr. m. II canimus, pro quibus legas:

Non hic Memnona, non canemus Indos.

Sequitur Safficum constat etc. *Hunc igitur locum perquam memorabilem in-
merito uiri docti neglexerunt, si quidem in ceteris codicibus atque in edi-
tionibus aliud omnino exemplum inuenitur productum hoc:*

Hermus (Isthmos) diuitibus superbit undis.

p. 466, 13 carmina uella magis uellem sonare: carmina bella magis uellem
sonare P 17 alcaicum spondeum constat — dactylis = P 27 cum duobus
troceis aut iambis = P

p. 467, 4 et coicum = P 6 gratias malis: gratia malis §

*Deinde f. 80^b — f. 81^a INCIP̄ EXCERPTV̄ DE PANEGIRICO PORFIRII
FACTVM IN CONSTANTINO AVGVSTO. In hac pagina primus uersus ex
disillabis partibus orationis constat — VNDIQVE CONFVSI CONTABVNT
SINGVLA VERBIS habes excerpta nonnulla ex Porphyrii Optati-
ani panegyrico Constantino dicto, de quibus aliquando disputabit
Lucianus Muellerus in sua, quam molitur, Optatiani editione.*

Iam inde a f. 81^b usque ad f. 101^a sequitur commentum anonymum quoddam in Donati artem maiorem, quod quo iure Iuliani grammatici uel eius simillimi esse opus, a Keilio excerpt. Iuliani praef. p. 314 not. desideratum, contendam, infra peculiari disputatione ostendam partis tertiae cap. VII. Cuius artis titulus secretis litteris scriptus adhibita clavi illa, quae ima f. 2^b pagina (cf. p. XVI) extat, ita resolutur: de partib[us] oratiō, atque ipsa ars incipit a uerbis: Partes orationis sunt octo. Nomen etc. Octo sunt partes orationis, sine quibus loquutio esse non potest — desinque in haec: sicut in peregrinis uerbis autin barbaris nominibus accentus certi non sunt ita et in interiectionibus.

*Tum sequitur f. 101^a — f. 112^a praemisso titulo: IT̄ DE PARTIB:
ORATIONIS sine ulla nominis significatione ars Donati maior de
octo partibus orationis p. 372, 25 — p. 392, 3 K., quae artis maioris
pars altera in libri initio nescio quo pacto omissa fuerat, cf. supra
p. XVII. Summam habet iste codex cum libro S Berolinensi Santenii
cognitionem, praesertim in singulis singulorum commatum titulis inter-
ponendis. Hanc Sinnerus anonymi esse artem dixit cat. Bern. I p. 433.*

*Cui subiungitur noua quaedam ars anonyma f. 112^a INCIPIT
DE LITTERA. Genera litterarum diuersa sunt qui . a diuersis locis et aucto-*

ribus sunt inuentae — f. 127^a aut admirationem ut papae aut metum ut at tat et siqua sunt his similia, — *ex qua haec placuit excerpere:*

f. 112^a INCIPIT DE LITTERA. Genera litterarum diuersa sunt, quia (qui a) diuersis locis et auctoribus sunt inuentae. Nam ante diluuium Enoch inuenisse litteras credimus, quibus textum prophetiae sua illis temporibus ostendisse non dubium est testante epistola, quae catholica nominatur. Prophetauit autem: Ait septimus ab Adam Enoch dicens: ‘Ecce dominus ueniet’ et reliqua, quae ibi scribuntur; per quas etiam studia sua in duabus columnis scribere post diluuium homines curauerunt; sed postea repperit litteras Cham filius Noe; deinde Abraham Syrorum et Chaldeorum litteras inuenit. Hebreorum litteras Moyses inuenit in monte Sinai, quibus et legem scriptam digito dei suscepit, sed non illis litteris nunc utuntur Hebrei, utuntur autem eis litteris, quas inuenit Esdras propheta sub Zorobabel, filio Salathielis. Gr(a)ecarum litterarum usum primi F(o)enices inuenierunt: Cadmus (chatmus) Agenoris filius Gr(a)ecas litteras inuenit, non tamen omnes, sicut nunc sunt XX et IIII, sed aliquae postea additae sunt, de quibus dicendum est. Latinas litteras repperit Carmentis (carmentes) nimpha Nicostrata, mater Euandri, quae diuiduntur in || f. 112^b || duas partes principaliter apud Latinos. Quomodo? In uocales et consonantes. Iterum consonantes diuiduntur in duas. Quomodo? In semiuocales et mutas. Vocales dictae sunt, quia uocem integrum habere uidentur. Sunt autem quinque a e i o u. Semiuocales uero sunt VII: f l m n r s x. Et dictae sunt semiuocales, quia medium uocem habere cernuntur, non quod figura mediae sint, sed quia plenum sonum non habent et excitant sonum suum ab e uocali et in semet ipsis cadunt, sicut dicimus ‘semideoes’ et ‘semiuiros’, non quod semis, idest medii dili sint uel medii uiri, sed quod perfecti (perfectae cod.) dili et perfecti uiri non sint: sic et semiuocales, quia perfectum sonum non habent, ideo nuncupatae sunt. Mutae dictae sunt duabus ex causis. Quomodo? Vna, quia ad conparationem uocalium, idest ad id, quod uocales sonare possunt, istae mutae sunt, altera, quia si subtrahas illis auxilium uocalis, intra hospicium oris moriuntur. Sunt autem VIII: b c d g h k p q t. Y et z propter Gr(a)eca nomina adsumsimus, quae frequenter in Latina regula occurunt. Sciendum est, quibus modis littera dici potest. Quinque. Quomodo? Dicitur enim apud Hebreos sepher, apud Gr(a)ecos gramma, apud philosophos (phylosophos) atomus, apud oratores legitera, apud Latinos littera. Et dicta est littera eo, quod legentibus iter ad legendum ostendat. Atomus (ath-) uero ideo nuncupatur, quia diuidi non potest. Omne enim, quod indiuisibile (inuisibile cod.) est, apud philosophos atomus nuncupatur; pro hac ratione et + atlonato minima pars dicitur. Hoc sciendum est, quare antiqui litteras elementa (aelim-) uocauerunt: ad conparationem elementorum mundi, quia, sicut mundus ex quattuor elementis compositus est, sic et litterae in unum iunctae litteralem faciunt uocem. Atomos (ath-) apud philosophos ideo dicitur littera, quia, cum oratio soluatur in uerba et uerba soluantur in pedibus, et pedes soluantur in sillabis, sillabae soluantur in litteris, littera non habet, in quo soluatur neque diuidi potest: ideo atomus et pars minima dicitur. Sciendum est, quod atomorum genera sunt quinque, idest atomus in sole, atomus in re, atomus in nū|| f. 113^a || mero, atomus in tempore, atomus in littera. Quomodo? Atomus in sole est, cum uidemus in radiis (-ios) illius minutissimum puluerem, qui nec teneri nec diuidi potest. Fit atomus in re, cum granum sinapis diuidimus in multas partes, et pars eius, quae diuidi non potest, atomus dicitur. Atomus in numero fit, cum (sicut cod.) quattuor diuiduntur in duos et duo diuiduntur in unum, unum quia non habet, ubi diuidatur, atomus est. Atomus in tem-

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

COD. BERN. 207.

XXV

pore sit, cum (sicut) annus diuiditur in tempora, tempora in menses, menses in ebdomadibus, ebdomas in diebus, unus dies non diuiditur; atomus est.

Donatus dicit de octo partibus orationis.

Dicit Donatus: 'partes orationis sunt octo. Quae? Nomen' etc. Sciendum est, quid est oratio, uel quare dicatur oratio aut quibus modis dicatur oratio, aut quot sint orationis genera ('genera orationis). Oratio est structura uerborum cum plena significatione sensus. Oratio dicitur elocutio, quasi oris ratio, eo quod ore et ratione consistat. Oratio, sicut Sanctus Augustinus dicit, duobus modis dicitur. Quomodo? Idest, quando aliquid rationabiliter loquimur, uel quando pro peccatis aut pro uita deum rogamus etc. (*cf. Petri grammatici artem huius libri p. 161, 14.*)

DE PRIMA DECLINATIONE.

|| f. 113^a || Et sciendum est, quia tribus litteris (-as) terminalibus finitur prima declinatio a s m et octo sillabis finalibus terminatur, ta ut poeta, sa ut Musa, ca ut Pascha, ga ut collega, na ut aduena, am ut Adam, Abraham, as ut (A)eneas, es ut Anc(h)ises, sicut dicit Vergilius:

Anchises genitor, Dauni miserere senectae
(*Aen. XII 934*; ancise genitor danaum misereresce nettae, corr. natae cod.,
cf. Petri grammatici excerpta huius libri p. 164, 4.)

DE SECVNDA DECLINATIONE.

|| f. 114^a || Et sciendum est, quod tribus finalibus terminatur secunda declinatio: s m et r et XIII sillabis finalibus terminatur, idest tus et nus et ger et um et er et ir et ter (et om.) et prus et xus (*addendum*: et ber et ur et bus et dus et mus *cf. seq.*). In tus ut doctus, in nus ut alnus, in ger ut niger piger, in um ut praeceptum iudicium, in er ut puer, in ir ut uir, in ter ut magister, in prus ut Cyprus, in xus ut taxus, de qua dicit Vergilius:

taxi torquentur in arcus

(*Georg. II 448*) et alibi ipse Vergilius:

fugiant examina taxos

(*taxus cod., Ecl. IX 30*). In ber ut faber, in ur ut satur, in bus ut albus, in dus ut candidus, in mus ut heremus (in us cod.).

DE NOMINE.

|| f. 115^b || Species uocis alii duas esse dixerunt, alii quattuor. Illi, qui duas esse dixerunt, hoc adfirmare conati sunt: una species uocis est articulata, altera confusa. Articulata, inquiunt, dicitur, quae litteris scribi et articulis comprehendi potest || f. 116^a ||, ut ars pars eloquium sapientiae et reliqua. Artus uero dicuntur membra maiora, a quo nomine et articuli digiti nuncupati sunt. Confusa est, quae nec litteris scribi potest, nec articulis comprehendi, ut mugitus boum, sibilus serpentum uel suricum. Illi, qui IIII species dixerunt, hoc notare conauerunt dicentes: est uox articulata et inarticulata, litterata et inlitterata. Articulata uox est, quae cum artis ratione, inarticulata, quae cum nulla ratione profertur, ut est rusticorum loquutio. Litterata est, quae

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

XXVI

DE LIBRIS BERNENSIBVS.

scribi potest, inlitterata est, quae scribi non potest. Quaerendum est, si potest inueniri (-re) uox litterata, quae scribatur et non intellegatur. Potest, ut croax, scra. Et iterum quaerendum est, si possit inueniri (-re) uox inlitterata, quae non scribatur et tamen intellegatur: ut sibilus hominum et gemitus et ructatus (*ruptatus cod.*), quia et per sibilus cantio intellegitur, per gemitus dolor, per ructatum (*rupt-*) uentris (*uentū*) emissio.

|| f. 116^b || Scire cupimus, ‘Puplipor’ (*puplior cod.*) quae pars orationis est. Nomen est. Quis modus? Compositum est et ex duobus conponitur (*compos* est . ex duobus ponitur *cod.*). Quomodo? A Puplio et puer. Quomodo fit genetivus eius? ‘Pupliporis’, hoc est *Puplii pueri* (*puer cod.*). Sic declinatur et Marcipor, idest Marci puer. Sed ‘Marci’ (*mar cod.*) integrum est, ‘por’ corruptum (*correptum*) est, hoc est ex integro et corrupto. ‘Ador’ quae pars orationis est? Nomen est. A qua parte orationis diriuatur? A uerbo, quod est ‘adoro’. Quomodo fit genetivus eius? ‘Adoris’, sed in usu (*usi cod.*) frequenti non est. ‘Ador’ productam o habet an correptam? Productam. Quare productam? Quod a uerbo diriuatur, quod producit o, non debuit ‘ador’ aliter habere, quam uerbum, a quo diriuatur, ut Vergilius:

adore a liba per herbam

(*Aen. VII 109*, *erbam cod.*). Possumus dicere ‘pueram’, sicut ‘puerum’, et ‘puellum’, sicut ‘puellam’ an non? Possumus. Vnde probabis? Liuius dicit:

Puerarum manibus

(*libius cod.*, cf. *Prisc. I p. 231, 12 H.*). Plautus dicit Geminis:

Dolet puellus sese uenum ducier

(*gemini*, cf. *Prisc. I p. 231, 22*). Lucilius ait:

Cumque hic tam formosus homo apte dignus puerus
(cf. *Prisc. I p. 232, 1*). Scire debemus, quae sunt collectiva nomina. Quae singulare numero multitudinem significant, ut populus plebs grex gens et horum similia. Quae sunt diuidia nomina? Diuidia dicuntur, quae duobus uel amplioribus ad singulos (-us) habent relationem, uel plures in numeros pares distributos, ut uterque alteruter, ut singuli uel terni centeni. Tractua quae sunt? Quae in diuersas (-sis) species possunt diuidi, ut animal arbor (*albor cod.*). Specialia quae sunt? Quae a genere diuiduntur, ut homo equus uitis laurus.

Absolutua quae sunt? Quae per se intelleguntur et non egent alterius conjunctione nominis, ut ‘distractio’.

Quae f. 117^a de pronominis ‘ego’ forma tractantur, similia leguntur apud Petrum grammaticum huius libri p. 165, 23, sed ita, ut utrumque auctorem inter se conferre non nullius sit pretii:

Hoc scire debemus, quare Gr(a)ecum pronomen, quod est ‘ego’, adductum est in Latina regula, cum potuisset illud seruari, quod apud antiquissimos grammaticorum fuit. Non enim ‘ego’ fuit, sed ‘met’. Et sciendum est, quare met projectum est et positum est loco eius ‘ego’; ideo sic factum est, quod uidentes posteri grammatici, quod haec pars, idest ‘met’, ab m inchoans et in t desinens regulam sola continere non potuisset, expulerunt ‘met’ Latinum pronomen et posuerunt ‘ego’, quod est Gr(a)ecum, per reliquos casus declinationem pristinam reseruantes.

Quae si cum Petro conferas, uidebis, Petrum ab huius artis auctore certe non adhibitum fuisse: illud uero non ita audenter contendam, contra

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

COD. BERN. 207.

XXVII

accidisse, praesertim cum apud Petrum multa inueniantur insuper com-memorata, quae apud hunc non inueniuntur: satius est igitur, ut com-munem utriusque fontem fuisse statuamus. Nam e. g. cum huius artis auctor f. 113^a (cf. supra p. XXV) primam declinationem octo syllabis finali-bus terminari dicat, Petrus uero p. 164, 5 septem tantummodo iisdem propositis exemplis enumeret et, si forte amplius potuerint inueniri, se non contradictrum contendat, sed istas se posuisse, sicut a uiris erudi-tissimis maneret conpertum, sincere adfirmet, ne Petrum quidem huius artis auctore usum esse credi fas est.

|| f. 117^b || 'Ille' aliquando est finitum pronomen, aliquando est minus quam finitum. Finitum pronomen est, quando persona (-am cod.) iungitur, ut est hoc:

Ille ego Origenis doctor uerissimus olim,
Quem primum fidei Graecia clara dedit
(cf. artis Bernensis Iuliano similis excerpta cod. 207 f. 26^a praef. partis tertiae cap. VII).

DE VERBO.

|| f. 119^a || Verbū est pars orationis cum tempore et persona sine casu, aut agere aliquid aut pati aut neutrum significans. Verbum quare dictum est? Quod uerberato aëre efficitur. Ergo si pro hac ratione dicitur, et omnes partes orationis 'uerba' dici possunt. Nullum enim sermonem eructare possumus absque uerberatione aëris. Et si ideo uerbum dicitur, quod uerberato aëre efficitur, et omnes partes orationis uerba dici potuerunt. Sed manifesta ratione ostenditur, quia, cum uerbum uerberato aëre motuque linguae efficiatur, plus eam (*sic*) in elocutione utimur, quam ceteris partibus.

|| f. 121^a || Multi adfirmant, quod ideo 'frequentatiua' dicatur, quod paenultima praetunditur.

Modus a quodam (quadam) moderamine sui nuncupatus est, quoniam, quod indicamus uel imperamus siue optamus, quibusdam discriminibus coniugationum et temporum atque personarum certis numeris et generibus moderatur. Augustinus*) dicit: 'Modus est quaedam (quendam) uis declinationum ratione peracta, quo uaria temporum || f. 121^b || personarum numerorum generumue conclusio definitur (dif.)'. Modi dicti sunt, quibus uerbum certa lege moderatur, ne in declinatione extra rationis ordinem progredi cognoscatur. Cum enim per modos iuxta suam naturam inflectitur, nisi modis (modus) cohercetur et certa stringatur ratione, insulse (-ae) et inutiliter ordinatur et ideo, ne errore in declinatione frangatur eius ratio, modorum freno restringitur, ne illuc ei cadere liceat, ubi nullus regulae trames (-is) permittit. Et ideo modi a quodam moderamine dicti sunt, per quod uerba restringere cognoscuntur.

*) Non extat is locus neque apud Weberum neque apud Keilium.

Modos uerborum alii quinque, alii septem, nonnulli nouem, plures decem esse arbitrantur. Qui quinque modos esse putant, ita dicunt: indicatiuum imperatiuum optatiuum coniunctatiuum infinitiuum. Qui septem, inpersonalem et gerendi modum addunt; qui nouem, promissiuum et concessiuum iungunt; qui decem, pronuntiatiuum superinponunt. Sed eorum procacitas respuenda est. Nam quicquid uel uerbialibus regulis ostenditur, per septem modos posse fieri conprobamus. Indicatiuum modum ob hoc dictum esse putamus, quoniam per eum indicium agentis aut patientis uerbiali (*uerbialia cod.*) significatione ostendimus. Hunc quidam modum pronuntiatiuum dixerunt, quod per uarias temporum species agentis seu patientis effectum significat. Dicimus item imperatiuuus, quod per eum officium imperantis in praesentia aut in futuro ostenditur (*cf. Petri excerpta p. 166, 9*). Hunc quidam (*quidem cod.*) dominicum appellauerunt, quod proprium dominorum est imperare; et hic modus primam personam non habet, quod nemo semet ipsum imperat. Sicut enim in pronomine uocatiuuus defecit, ita in uerbo imperando prima persona abnegatur; nemo enim se ipsum uocat aut sibi ipso imperat. Optatiuuus modus dicitur, quoniam per eum optandi officium significamus, non pro eo, quod optantis aduerbiuム habet, sed quod in sese optandi significationem gestat. In hoc modo singula uerba binis temporum significationibus ostenduntur (*binas t. significationes ostenditur cod.*). Coniunctatiuum modum ab hoc dictum esse credimus, quoniam si aliquibus modis non adiungatur, pleni intellectus officium in se non habet, ut, cum dicimus: 'cum inuocarer' 'cum clamarem', aperte conspicere possis, quoniam in se integritatem sensus manifestare nequit, nisi sibi adiungas indicatiuum, ut ita dicas: 'cum inuocarer, audiui', 'cum clamarem ad dominum, exaudiuit me'. Sed errant, qui hunc modum coniunctatiuum dictum esse adfirmaunt, quod coniungitur ei particula 'cum'. Si enim ob hanc rationem coniunctatiuuus diceretur, et optatiuuus coniunctatiuuus dici || f. 122^a || potuit, quoniam ei 'utinam' aduerbiuム optantis coniungitur (*cf. Petri excerpta p. 166, 14—20*). Sunt uerba, quae 'tipcialia' dicuntur, idest similitudinis, quoniam similitudinem participiorum in se ostendunt, cum sint uerba et non participia. Tria enim uerba 'amandi' 'amando' 'amandum' similitudinem participii passiuae significationis futuri temporis ostendunt. 'Amatum' uero similitudinem participii praeteriti temporis passiuae significationis (-em *cod.*) gestat.

Sunt alii, qui huius modi uerba ad passiuam significationem magis, quam actiuam (actiuam) scribi confirmant ob hoc maxime, quoniam a participiis passiuorum diriuari uidentur. Sed tamen praeuidendum est, quoniam non minus actiuua (actiuae *cod.*) significatio in his uidetur, quam passiuua. Dicimus enim: 'legendi causa ueni' actiuua scilicet significatione, et dicimus: 'causa legendi crucior' (crutior), hoc est 'dum ab aliis legor', et 'sciendo logo' et:

cantando rumpitur anguis

(*Verg. Ecl. VIII 71*), non 'dum cantat' (cantet), sed 'dum cantatur'.

'Deponens' uerbum ideo nominatur, quoniam, ut quibusdam uidetur, litteram non deponit et actiuam significationem in se continet, ut meditor meditari, confiteor confiteris, loquor loqueris, metior || f. 122^b || metiris. Sed si ob hoc dicitur, quoniam r litteram non deponit, et commune (communi) deponens dici potest, quod r litteram non deponit. Sed uerius ideo deponens dicitur, quoniam deponit plenitudinem significationis actiui passiui neutri communis, sed ab his omnibus partem subtrahens omnia penitus deponit, ita ut, cum dicimus 'loquor', non hic actiui seu passiui uel neutri seu communis

uerbi plenam significationem conspicere possumus, sed partem inde et inde conspicere. possumus.

|| f. 123^a || Sunt uerba regulis corrupta (correpta cod.), ut sero infero adfero conseruo suffero refexo aufero profero praefero effero transfero antefero perfero circumfero, edo ambedo comedo + aedo, uolo malo, sum, fio, odi noui memini pepigi. Sunt uerba, quae rite declinari (-e) non possunt, ut cedo aue salve forte infit sis sodes ferit amabo inquam aio meio qu(a)eso cesso e(o)epi faxo pando sisto.

Quae de aduerbio, de participio, de coniunctione aguntur et maior pars eorum, quae ad praepositiones spectant, ad uerbum paene conspirant cum arte Petri grammatici huius libri p. 166 seq., ut uel pro tertio codice (C) in excerptis emendandis adhibere potuerim.

Sequitur post interiectionem f. 127^{a,b} tractatus de nominibus mobilibus (De nomina mobilia [sic]: Sunt nomina tota mobilia ut doctus docta doctum et ideo mobilia dicuntur, quod mouentur (mouent) per tria genera — inueniuntur et nomina, quae in prima positione fixa sunt nec mouentur per genera et tamen in diruacione mobilia sunt, ut est mons fons sc(h)ola. Non enim flectuntur per genera, cum sint principalia. Cum autem dixerimus eorum (earum cod.) diruacionem, mouentur per genera, ut montanus montana montanum, fontanus etc., sc(h)olasticus etc.), quem excipit expositio de casuum nominibus (Quaerendum est, quare casus dicti sunt. Casus dicti sunt a cadendo etc.; f. 127^b: nominatiuus quare dicitur? Quod per eum nominamus, quem uolumus, ut 'Vergilius scribsit Bucolica' (boc-); 'Terentius (terr-) pr(a)eceptor meus fuit') in haec uerba desinens:

Ablatiuo, ut (aut) 'aufer a magistro', 'ablatum est a uobis iugum'. Hoc superius scribendum est. EXPLICIT.

Quibus quidem uerbis auctor uel librarius uidetur significare uoluisse, omnia ista, quae post interiectionem scripta sunt, cum ad nominis expositionem pertinerent, superiore loco inserenda fuisse.

f. 127^b — f. 129^b sequitur ars compendiaria eodem modo scripta, quo illa, quam f. 17^a — 18^b supra p. XXI extare docuimus: INCIP^{RE} DECLINATIONES Q. PARTIVM. Doctus quae pars orationis est? Nomen est. Vnde hoc scis? — DE ADUERBIO. Deinceps quae pars orationis est — qui accentus? acutus. quomodo? In trisyll et tetrasyll et deinceps si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur. Quota diuisio? Sescupla et cetera secundum suum explicans ordinem.

Quae ex illa arte desunt, f. 195^{a,b} extant. Sed totus hic tractatus alia prorsus manu, quam cetera, scriptus est.

Inde a f. 130^a — f. 140^a legitur Asperi ars grammatica, quam huius libri p. 39—61 edidimus, cf. p. 39 adnot. et p. 61 adnot.

Tum f. 140^b — f. 145^a Sergii in Donati artem explanatio ab editis diuersa, quam et ipsam huius libri p. 143—158 proposui, cf. p. 143 adnot.

Cambridge University Press

978-1-108-00643-9 - Grammatici Latini, Volume 8

Edited by Heinrich Keil and Hermann Hagen

Frontmatter

[More information](#)

XXX

DE LIBRIS BERNENSIBVS.

Post Sergium sequitur nullo auctoris nomine adposito sine ulla tituli significacione alia ars grammatica f. 148^a — f. 168^a: ORATIO DÑ ELOCUTIO QUASI ORIS ratio eo quod ore et ratione consistat — cum aliiquid dolore cordis uel laetitia uel admiratione uel metu referimus etiam longo tractu finiatur. Ipsa eloquutio interiectio dicenda est. dō CRATIAS.

Hanc artem Petri grammatici cuiusdam esse inde efficitur, quod eadem in cod. Bern. 522 addito in fine operis f. 68^b Petri nomine extat, cf. huius libri p. 161, 8 adn. Vides igitur, hanc artem significare uoluisse librarium, cum f. 1^b inter auctorum nomina Petrum quoque nominabat. Temere igitur Sinnerus catal. Bern. mscr. I p. 447 Petri artem in cod. 207 extare negavit eadem ille socordia ac fiducia usus, qua, dum p. 424 Prisciani opusculum ‘de nomine pronomine et uerbo’ a Putschio iamiam editum esse uidet, p. 458 adeo eius rei ignarus extitit, ut idem opusculum quasi nouum quoddam atque hactenus incognitum ‘cum Prisciani opere non idem esse’ p. 460 contenderet ideoque, ut eius excerpta locupletissima proponeret, a suo animo lubenter atque hilariter impetraret.

*Restat ultimum eius codicis praestantissimi opus, quod a f. 168^a paene usque ad finem f. 194^b extenditur, Isidori excerpta grammatica aliaque id genus continens: INCIP̄ ARS SC̄ ISIDORI EP̄ DE GRAMMATICA. Grammatica est scientia recte loquendi et origo et fundamentum liberalium litterarum etc. Haec Isidori *) quae dicitur de grammatica ars ex Isidori originum locis ad grammaticam et rhetoricae etc. pertinentibus compacta est ita ut nihil fere addatur, quod non et in Isidori originibus deprehendatur. Neque tamen illius operis ordo seruatus est, sed modo hinc modo illinc frustula conquisita sunt haec: Orig. I 5, 1—4; cap. VI continuo tenore usque ad cap. XIII de interiectione; tum f. 171^a de disciplina et arte I 1, 1 — cap. IV fin.; tum cap. XV de syllabis 1—3, tum cap. XIV de uoce, tum cap. XVI de pedibus uno tenore usque ad cap. XIX inclus.; omissio capite XX continuatur cap. XXI de notis uulgaribus; omissis cap. XXII. XXIII. XXIV. XXV continuatur f. 176^a cap. XXVI de orthographia, cuius quidem capit̄ non nisi prima paragraphus extat. Tum sequitur de analogia cap. XXVII, de ethimologia cap. XXVIII 1—5: ‘traxerunt uocabula’. Deinde transitur ad cap. XXX de differentiis, cap. XXIX de glosis, cap. XXXI de barbarismis usque ad cap. XXXIV inclus. Sequitur cap. XXXVII de prosa, cap. XXXVIII de metris usque ad libri primi finem. Hunc excipit libri II cap. I usque ad cap. IX de sillogismis § 7 inclus.; tum de lege cap. X. XI et XII § 1; tum cap. XIII et XIV § 1 pro exprimendis affectibus; deinde cap. XV, XVI § 1; cap. XVII et cap. XVIII, sed*

*) Alia praecpta grammatica Isidori nomine notata, quae in originum libris non extant, infra collegi praef. partis tertiae cap. XI.